

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, decimâ-octavâ mensis Aprilis, Anno Domini M. DCC. XLIII.

M. JOANNE-BAPTISTA DUBOIS,
Professore Regio, Doctore Medico Præside.

An gracilibus Pomaceum *Vino salubrius?*

I.

ARIÆ pendent corporis habitudines à variâ partium solidarum structurâ, dispositione, texturâ, variâque humorum indole, agitatione, ἐνεργείᾳ. De magnitudine & parvitate, de pulcritudine ac deformitate nihil, aut parùm curat Ὑγιεινὴ, hisque vix unquam fuit adducta, ut in suis de tuendâ valetudine legibus quidquam vellet esse discrepantiæ. De gracilitate & obesitate magis sollicita, suam cuique victûs rationem decernit, quâ utriusque vel incommodis levamen suppeditet, vel incrementis obices ponat. Duplex porrò, ad naturam duplicem composita, δίαιτα multiplices aëris qualitates expendere, somni vigiliæque tempora definire,

motûs & quietis indicare vices, exercitationum genera designare satagit. Respectu alimentorum; non tantùm à cibo largiori, vel parciori, calidiori, vel frigidiori, ficciori, vel humidiori suas mutuatur diversitates; verùm à dissimilibus quoque potûs generibus insignia, maximique ad sanitatem momenti discrimina sortitur. (a) *Sunt quibus Vinum est alimentum, sunt quibus non est alimentum*, sed venenum. Se quisque suo pede moduloque metiatur. Modulus iste habeatur ἰδιοσυγκρισία· Hæc perspecta priùs esse debet, quàm conveniens eligi queat potus. (b) *Nisi enim quis noverit qualis à principio fuerit co stitutio, in corpore primas tenens, quæ homini conducant, proferre par non erit.* Cognitâ corporis naturâ, studium ad potionum differentias convertatur. Nimirùm ut recta salubrisque victûs norma statuatur, (c) diversas non modò corporis σύστασιν oportet explorasse feliciter, sed omnium etiam, quibus fami & siti succurritur, alimentorum dotes comperisse. Liquorum, quos familiaris commendat usus, alii calorem excitant atque intendunt, solidarum partium stamina convellunt, fluidarum exacuunt fermenta, utrarumque motus reddunt vegetiores: alii fervorem mitigant, fibrarum temperant siccitatem, & rigiditatem emolliunt, acutiora humorum obtundunt spicula, æstus motuum vividiorum sedant. Priori specie posteriorem facilè patet esse gracilibus multò salubriorem.

(a) Hipp. *l. de alim.*
(b) Hipp. *de vict. rat. l. 1.*
(c) *Ibid.*

I I.

(a) TENUIS *homo implere se debet .... calidus refrigerare ... siccus madefacere.* In gracili corpore observa cutis ariditatem, respirationis magnitudinem & crebritatem, pulsûs celeritatem, vehementiam ac frequentiam, implacidam somni brevitatem, non indecorè lascivientium oculorum volubilitatem, salacitatem, sensuum perspicaciam, vim ingenii præcipitem, audaciam, superbiam, iracundiam, aliasque istiusmodi cùm animi, tùm corporis affectiones. In eo calorem intensum, fibrarum summâ resiliendi virtute donatarum siccitatem, æstuantem humorum agitationem, motus omnes violentissimos esse concludes. Liquorum omnium corpus animale perluentium augendæ tenuitati plurimùm conferre calorem vel indè fit manifestum, quòd primam sumptorum dissolutionem & concoctionem insigniter promoveat. Id cùm probè nosset Hippocrates, (b) crudos ventriculos cibo potuque calefaciente roborandos esse decrevit. Cur animalia castrata stabulisque detenta citò saginantur? Ad pinguedinis incrementum parùm accurata requiritur alimentorum & succorum ab iis oriundorum elaboratio. Testiculorum resectione & assiduâ quiete, frigidior imbecilliorque ventriculus evadit, (c) quàm ut ingestorum copiam valeat exquisitè conficere. Spissiores proinde manent chylus, sanguis & succus nutritius, apta materies obesitati cumulandæ. Cuncta depascentem in gracilibus ardorem obscuro carcere, vel crudeli cultro (ut in saginatione pecudum usu venit) expellat nullus; at saltem, potum si quis ministret, aquam igni, quàm oleum inspergi satius esse meminerit; alioqui lethalem inferet corpori σύντηξιν. Habitia crispari stamina madore aliquo sunt recreanda, non torquenda calcaribus: nimis evolutæ fermentorum vires frænis coërcendæ sunt, non stimulis armandæ: irrequieti motus repagulis cohibendi sunt, non incitamentis adaugendi. (e) *Congeneribus exasperatur, contrariis levatur* vitiosus quivis affectus. Proderis macilento, si huic mitiores frigidioresque haustus propinaveris; si contra calidiores ac generosiores, omnia ruent in pejus. Hinc divina Coï doctrina tenuium corporum incolumitati (f) humido victu consulendum jussit.

(a) Cels. *l. 1. c. 3.*
(b) *L. de sal. vict. rat.*
(c) *Ibid.*
(d) Hipp. *l. de genit.*
(e) Hipp. *l. de morb. sacr.*
(f) *l. de sal. vict. rat.*

I I I.

VINUM blanditur oculis, illecebroso ne crede nimiùm colori: nares titillat avidas, dolosa fuge lenocinia: palato arridet, fallaces metue delicias. Exceptum ventriculo, visceris hujus fibras colubri dente vellicat. Hæ ad vividiores contractiones sollicitatæ, glandulas intersitas fortiùs comprimunt, undè copiosior succi *gastrici* proventus. Cujus pretiosi roris exhausto

demùm fonte, (*a*) ventriculum exficcari neceſſe eſt. Hinc prima ſingulis functionibus inuritur labes. Novus-ne perpetuò ſuppetit liquor è glandulis eliciendus? Is ſimul cum Vino, quaſi junctis viribus, perfuſos penetratoſque cibos accuratè diſſolvit, non parum juvantibus Bacchi ſpiculis, quæ, ceu totidem cunei, propellente motu ventriculi, quaſlibet alimentorum ſubeunt rimulas, durioreſque particulas divellunt. Indè cita χύλωσις. Alimenta ſic primùm elaborata, ſuperatis chyli viis, purpureo committuntur alveo. Tunc Vini magis evolvi ſpiritus, per totum ſanguinis fluentum diffundi, in obvias quaſque partes impetuoſiùs irruere, in vaſorum continentium parietes ipſos arietare, tùm ab iis nimiùm diſtenſis repelli, mox acriùs præliari, quodcunque occurit incidere ac diſcutere. Humores interim ſubtiliores facti vehementiùs agitantur, ſolidarum partium fibræ validiùs vibrantur, corpus univerſum incaleſcit, expectatoque balſamo defraudatum exareſcit. *Pomaceo* (cujus mox natura palàm fiet) non modò minor exprimitur, quàm Vino, *gaſtrici* liquoris copia, ſed expreſſi virtus etiam minùs adjuvatur, unde craſſior enaſcitur chylus, in ſanguinem quoque craſſiorem abiturus. *Pomacei* ſpiritus eas tantùm poſſunt intrà vaſa ſanguifera movere luctas, quæ multo potiùs ejuſdem *phlegmate* facilè componantur: pars verò ſpiſſior, glutinoſis veluti catenulis, principiorum mobiliorum reprimit impetus turbarum auctores, unctuoſo ſinu ſalia demulcet effera, horumque aculeos, erodendis villis idoneos, nexibus oleoſis intricat. Sic vaſorum præpediuntur vellicationes, ſic minuitur calor, ſic non exficcantur ſtamina, ſed ſuffuſo ſenſim madefacta rore, magis ac magis molleſcunt. Memoratas ut arceret noxas, commodaque recenſita conciliaret Venerandus Senex, (*b*) cùm obeſis acria tenuiaque præciperet καταπλύσματα, gracilibus eadem craſſa pinguiaque præſcribebat.

(*a*) Hipp. *de vict. rat. l.* 2.
(*b*) *De ſal. vict. rat.*

I V.

DUM partes Vini ſulphureo-volatiles chylum ſanguini recèns admiſtum mille ictibus diverberant, eæ tùm propriis viribus, tum expeditis chyli ſanguiniſque principiis, tùm aucto motu & calore inteſtino, tùm prementium undequaque machinarum irritatâ potentiâ, nutritioni deſtinatum adeò comminuunt ſuccum, ut in ſanguinis globulos ferè totus citiſſimè faceſſat. Ex quâ αἱμάτωσει vix ulla, quæ corpus nutriat, exurgit ſubſtantia concreſcere apta. Indè ratio petenda eſt, cur graciles copioſo cruore turgeant. Iterùm atque iterùm colliſi tritique globuli exiliſſimas in particulas abeunt, per cutis ſpiracula mox avolaturas. Per eaſdem vias tenue ſerum, ſæviente fervore, facillimè diſſipatur. In vaſis quid reſiduum? Duriora *tartari* craſſamina, ſalibus fixis & acrioribus fœta. (*a*) Hæc emaciandis urendiſque ſolidis partibus, non recreandis, non reficiendis nata. *Pomaceo* tot averti poſſe calamitates analyſis chymica luculenter oſtendit. In hujus liquoris deſtillatione ſulphureus primùm ſpiritus prodit, iſque multò parcior, quàm ex Vino; mox plurimum ſequitur *phlegma;* tùm, aucto igne, ſpiſſum elicitur oleum: quæ reſidua manet materia, pauci particeps eſt *alkalini* ſalis, à ſale *tartari* parùm diſcrepantis. Lentorem *Pomacei* ſatis indicat inſignis illa vis, quâ ſuccus è pomis recenter expreſſus in primâ fermentatione turgeſcit. Eundem arguit ab eo liquore nata crapula, biduò vix edormienda. Dùm pinguis illa ſubſtantia, noſtri corporis humoribus immiſta, volatiliores tumultumque minitantes atomos vel placido illaqueat glutine, vel diluente mergit ſero; minùs agitata, minus attenuata chyli ramenta vorticoſo globulorum motui nullatenùs accommoda, nutritiam cedunt in lympham. Iſta ſuo priùs defungitur munere, quàm aut in rubras mutari ſphærulas, aut per cutis meatus amandari poſſit. Quid ita? Caloris motûſque mediocritas frequentiores colliſus diviſioneſque præcavet. Per inſenſilem διαφόρησιν minor fit ſeri utilis exhalatio; corporis macilenti vitia emendantur, damna reparantur: exiles fibræ ab exedentium particularum morſu certiùs vindicantur, aridæ uberiùs humectantur, molliùs reſtaurantur exinanitæ.

(*a*) Hipp. *de vict. rat. l.* 2.

V.

LITENT obeſi Libero, cujus auxilio ſegnem poſſunt excutere torpedinem, ſanguinis ac ſpirituum (*a*) penuriam ſuſtentare, vixque micantem nativi caloris flammulam à ſuffocatione vindicare. Sua noſtram Pomonam manet gloria. Colant illam macilenti, neque parva

cultûs erit merces. Inſpiſſante magis quàm attenuante potu graciles indigent. Horum cerebro nerviſque, pinguedinis præſidio non munitis, Vini mordacitas inimica. Craſſiores *Pomaceo*, ſubtiliores Vino humores generari; hoc vehementiùs, quàm illo, caput nervoſumque genus lædi unicâ probatur obſervatione Medico-Chirurgicâ. Lutetiæ, Antiſſiodori, aliiſque in locis, quorum incolæ Vino indulgent, partium inferiorum multò citiùs faciliùſque, quàm capitis, curantur vulnera. In Neuſtriâ utrorumque contraria ſors. Ut ut graviter ſauciatum, nullo ferè negotio ſanatur caput; pedis, tibiæ, femoriſ-ve ulcuſculum in longam annorum ſeriem protrahitur, inſanabilem non rarò mutandum in φαγέδαιναν. Horum-ce diſcriminum cauſam quæris? Ex unâ parte, alta petentium humorum ſubtilitatem; ex alterâ, vix aſcendentium eorumdem ſpiſſitudinem incuſa. Nec manifeſtiorem putes aſſignari poſſe rationem, cur Cadomi, quàm Pariſiis, multò periculoſior ſit *Saphenæ*-ſectio, ſeriùs præſertim, frequentiùs-ve celebrata. An illâ, quam inducit *Pomaceum*, ſanguinis craſſitudine obſtructiones portendi cuipiam videbitur? A ſuavibus *Neuſtriacæ* vindemiæ poculis metus iſte deterreat, quos jam adipis importuna moles obruit, ac propter venatum arteriarumque (*b*) anguſtiam, (*c*) ſubitaneo ſtrangulatui obnoxios reddit. Ab eo pavore liberent gracilium animos caloris innati maxima vis, volatilium, quibus pollent, ſalium virtus, fibrarum vividæ pulſationes, ac præcipuè vaſorum ſanguiferorum (*d*) amplitudo. Quibus illa natura corporis obtigit, iis à Vino potiùs, quàm à *Pomaceo*, non modo vaſorum obſtructiones imminent, ſed & viſcerum inflammationes, exulcerationes, tabes, hæmorrhagiæ, dyſenteriæ, hydropes, paralyſes, calculi, arthritides, &c.

(a) Gal. *comm. in Hipp. aph.* 44. *ſ.* 2.
(b) Gal. *loc. cit.*
(c) Hipp. *Aph. cit. l.* 2. *c.* 1.
(d) Hipp. *Epid. l.* 2.

Ergò gracilibus Pomaceum *Vino ſalubrius.*

Proponebat Pariſiis, PETRUS-ISAAC POISSONNIER, Divionæus, Saluberrimæ Facultatis in Univerſitate Pariſienſi Baccalaureus, A. R. S. H. 1743, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1743.